



De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

2 Vtrùm ij, qui positiuè cooperantur, semper teneantur ad restitutionem,
an solùm quando sunt causa sine qua damnum non fieret.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

Et sic vniuersum sunt 9 genera personarum, quæ tenentur ad restitutionem, præter executorem, de quibus modis vide D. Thom. q. 62. art. 7. & Gabrielem in 4. q. 2. d. 1. §. art. 3. Siluest. Restit. 3. q. 6. Adrianum in 4. tract. de restit. qu. 1. §. Circa prædicta. Ioannem Medin. C. de rest. q. 7. & 8. Sotum lib. 4. q. 7. a. 3. Couarr. ad reg. Peccatum, p. 2. §. 12. denique Nauarrum c. 17. num. 17. & seq.

Aduertendum est, sex prioribus modis positiuè cooperari, tribus posterioribus priuatiuè.

DYBITATIO II.

Vtrum iij, qui positiuè cooperantur, semper teneantur ad restitutionem: an solum quando sunt causa, sine qua damnum non fieret.

1 Vidam DD. sentire videntur, hosce cooperatores solum teneri ad restitutionem, quando ita cooperantur mandando, consulendo, consentiendo, &c. ut sine ipsis damnum non fieret: quando verò sine ipsis æquè damnum inferretur, non teneri. Ita docet D. Anton. p. 2. cap. 1. tit. 12. §. 12. ex Paludano & Richardo. Siluest. Restit. 3. q. 6. §. 3. vbi dicit hanc esse communem sententiam. Adrianus in 4. §. De concurrentibus cum fure, Nauarr. c. 17. num. 17. & sequentibus: denique ipse D. Thomas in 4. d. 1. §. q. 1. a. 1. ad 3. quaestunculam quæ sententia quodam sensu est aperte falsa quodam certa, quodam probabilis. Ut autem res intelligatur,

2 Dico Primo, Qui iubet, consulit, consentit, laudat, vel resuim præbet executori, ita vt ex hisce causis ille motus fuerit ad damnnum inferendum, non ideò excusatur a restitutione, quòd alius non defuisset, qui iussisset, consulisset, &c. Ita docet Caiet. q. 62. art. 6. Ioannes Medina q. 7. Sotus l. 4. qu. 7. art. 3. & alij. Est certa, nec credibile est, auctores prioris sententiæ id negaturos. quòd si eorum sententia sic accipitur, vt huic repugnet, est aperte falsa. Probatur; quia talis ita est causa damni in hoc casu, vt si ipse vel alius similis non moueret executorem, damnum non fieret; ergo verè est causa sine qua non fieret. Patet consequentia. Nam causa sine qua non, est ea quæ ita cooperatur, vt sine ipsa vel simili superueniente, non fieret effectus à causa executrice; non autem illa dumtaxat, quæ si absit, effectus non fiet. nam alioquin is qui suadet vel præcipit homicidium, non esset causa, si alius erat suadens, vel præcepturus: imò occisor non erit causa damni, si alius erat occisurus: quæ aperte sunt falsa. sicut enim ille iniquè erat factururus, & restitutionis obligationem incurfurus, si suadisset vel præcepisset maleficium; ita etiam is, qui in eius locum succedit.

3 Dices, Illa dumtaxat est vera causa, qua posita sequitur effectus, & qua non posita non sequitur: ergo situo consilio non posito, effectus nihilominus sequeretur, tuum consilium non potest cense-ri causa.

Resp. Non esse de ratione causæ, vt illa non posita, effectus non ponatur; sed tantum vt illa posita, effectus ponatur: idem enim effectus potest poni per multas causas. Pari modo, causa sine qua non, est ex cuius cooperatione sequitur effe-

ctus, ita vt nisi ipsa vel similis superueniens cooperetur, non sequatur effectus.

Dico Secundo, Si executor absque illo consilio, consensu, mandato, laude, vel ministerio æquè benè & eodem modo damnnum erat illaturus, quamuis nulla alia similis causa esset superuentura, tunc illi non tenetur ad restitutionem. Est communis sententia DD. vt si consilio, mandato, laude, inuites eum, qui antè ad facinus paratissimus erat, quique non ideò celerius, atrocius, aut amplius inferet mali, nec firmabitur in proposito, non teneris ad restitutionem. Ratio est; quia etiam grauius pecces, etiam contra iustitiam, tamen consilium & mandatum tuum inefficax est, quia damnum ex ipso tamquam ex causa non sequitur, ipsumque dumtaxat vt quid concomitans se habet. hoc modo Petrus Nauarra l. 3. c. 4. num. 48. & quidam alij putant explicari posse sententiam illorum DD. quo sanè sensu est certa.

Sed si quis eorum verba perpendat, illi non requirunt, vt damnum eodem modo sit inferendum ab executeore; sed tantum vt absolute sit inferendum, siue cum iisdem circumstantiis, siue cum diuersis. Sententia igitur illorum Doctorum est, hos non teneri, etiam si executorem mouerint, vt citius vel animosius, vel alio loco faceret, si ipse iam ita erat comparatus, vt sine ipsis vel similibus superuenientibus absolute esset factururus. Pari modo si causam dederint, vt plus damni inferret, quam alioquin illaturus erat, non tenentur nisi ad illud amplius. Probatur, quia D. Thomas supra, vt consulens teneatur ad restitutionem, duo requirit, nempe, vt probabiliter credat, consilium suum fuisse efficax, & quòd sine eo inuista ablatio commissã non fuisset. vbi satis insinuat, et si consilium sit efficax, ita vt moueat executorem vt citius vel expeditius faciat, tamen non inducere obligationem restituendi, si executor absque consilio erat factururus, licet non eodem modo. D. Antoninus, ex Paludano: Si sine consilio vel mandato fuisset nihilominus facta rapina vel damnicario, & nihil amplius per illa est additum, non tenentur, nisi quantum ad eos de rapina peruenit: si verò aliquid amplius ex mandato vel consilio factum est, ad illud amplius tenentur in solidum. hic solum requirunt, vt ipsa damni substantia absque consilio fuerit inferenda; non autem vt eodem modo vel tempore. Idem diseretè docet Nauarrus num. 20. & ceteri supra citati, & Gabriel in 4. d. 1. §. qu. 2. art. 3. dub. 2.

Hæc sententia est probabilis. Primò, propter Doctorum auctoritatem. Secundò, propter rationem: quia isti tunc non tam sunt causa substantiæ damni, quam modi vel circumstantiæ; cum qua mandatur executioni; vt quòd fiat hoc tempore, hoc loco, hoc iustrumento, hoc modo, vel cum hoc incremento: ergo non tenentur substantiam damni rependere.

Dices, Sunt causa totius actionis, vt hic & nunc fit: ergo tenentur. Confirmatur, quia non potest quis esse causa istorum accidentium & circumstantiarum, nisi etiam sit causa substantiæ actionis.

Respond. Ob hoc argumentum altera sententia (hos obligari in solidum) est valdè probabilis: quam tenent Caietanus, Medina, Sotus, & Petrus Nauarra supra. Responderi tamen potest, Etiam si sint causa totius actionis indiuiduæ, vt hic & nunc fit; tamen, quia illa actio quatenus damnosa,

4
Si eodem modo mali erat parandum.

5

6

Doctores non requirunt vt eodem modo absque cooperatione sit inferendum.

7

8

Si damnum quæ absque tali cooperatione erat inferendum, non teneri.

9

Obiectio.

Responsio.

secundum suam speciem iam erat parata in causa exequente, & omnino secutura, non videntur circa eam quidquam efficaciter operari, nisi inducendo nouas circumstantias, quod non est magni momenti ad substantiam damni. Quando etiam aliqua causa est exitura per se in actum; parum refert utrum hoc celerius fiat an tardius, hic an alibi, hac an illa actione indiuidua, hoc an illo instrumento. Ad confirmationem, Concedo esse causam substantiae illius actionis in indiuiduo, nempe quod potius sit haec indiuidua actio quam illa: sed hoc parum facit ad obligationem restitutionis.

Primò, Quia qui est causa ut differatur damnum in crastinum, est causa cur sit alia actio indiuidua damnificans, & tamen non tenetur. Similiter qui rogat ut alio loco occidat, ubi minus erit scandali.

Secundò, Qui volenti furari 10. suadet ut furatur 20. est causa illius indiuiduae actionis qua vult 20. & illius qua accipit 20. & tamen non tenetur nisi ad 10. ed quod furti dumtaxat horum censetur causa, ut docet Medina, Couarr. Petrus Nauarr. & alij: ergo ut quis teneatur in solidum, non sufficit ut sit causa totius actionis ut hic & nunc sit, sed ulterius requiritur, ut actio illa secundum suam speciem, sine tali cooperatione à tali executore non sit processura. Ex his patet, hanc sententiam esse probabilem, etsi altera quoque probabilis sit, & hoc tempore in scholis receptior. vnde sentio in praxi ordinariè sequendam; id enim isti iniqui cooperatores merentur, ut in posterum sibi caueant.

DUBITATIO III.

*Quomodo oporteat postiuè cooperari, nempe iussione, consilio, consensu, palpatio-
ne, receptione, & participatione, ut
censearis causa damni.*

11 **R**espondeo Primò, De *Iussione*. Qui ita iuber, ut alterius animum ad maleficium moueat, censetur damni causa; imò inter causas praecipuas: quia non est efficacior modus, quo creatura rationalis liberè ab alio moueatur, quam per mandatum. mandans enim, quamdam obligationem & necessitatem imprimit alteri. Dupliciter autem potest quis mandare, Primò, Expressè; ut si dicas famulo, Occide, Volo occidas. Secundò, Implicite; ut si dicas, Utinam mihi hoc obsequium quis praestet, Charus mihi erit qui hoc fecerit.

12 Aduerte tamen Primò, Si reuoces mandatum ante maleficium patratum, idque mandatario innotescat, non teneris; quia iam tollis causam: quae de re sunt multa lura, 7. Mandati.

13 **R**atsum habens. Secundò, Eum, qui ratum dumtaxat habet maleficium nomine suo factum, non obligari in foro conscientiae ad reparationem damni, ut rectè Medina quaerit. 7. ad quartum argum. quod est contra Nauarrum cap. 27. num. 233. qui putat ratihibitionem obligare instar mandati, si dum mandare poteras, damnum tuo nomine sit illatum. Sed contrarium est verum. Ratio est; quia ex illa ratihibitione facti praeteriti, ipsi factum, per quod damnum illatum est, nullo modo pender, tamquam ex causa mouente. Nec refert, quod nomine tuo factum sit; quia inde ratum sequitur, voluntatem

tuum fuisse causam finalem, & ideo illum fecisse, ut tibi gratificaretur, quia putabat tibi gratum futurum: sed hoc non sufficit, ut tu censearis causa efficiens, & voluntariè mouens ad damni irrogationem. Finis enim non mouet voluntariè, sed naturaliter, ex parte sua.

Dices, Cap. Ratihibitionem, de regulis Iuris, in Sexto, dicitur, *Ratihibitionem retrahit, & mandato non est dubium comparari.*

Respondeo, Comparatur mandato, non respectu operis patrat, & obligationis restituendi, sed respectu contractuum. (quia sola voluntate foris expressa firmari possunt contractus praeteriti, non autem causari damnum praeteritum.) Item respectu poenae in foro externo: quia qui ratum habet maleficium, punitur sicut qui mandauit.

Secundò, De *Consilio*. Hoc similiter est causa, dum quis ex eo permouetur ad faciendum opus. Huc etiam pertinent preces & promissiones. Ex qua verò culpa in dando consilio quis teneatur, explicatum est supra cap. 7. dub. 7. Modò satis sit, eum teneri, qui fraude vel culpa lata iniquum consilium dedit.

Sed difficultas est Primò, Si consultor ante perpetratum maleficium reuocet consilium, utrum nihilominus teneatur.

Resp. & Dico Primò, Si dedisti consilium falsum vel falso fundamento subnixum, (v.g. dicendo contractam esse licitum, bellum esse iustum, & similia) sufficit ut postea retractes sententiam, dicendo te deceptum, & sincerè veritatem explices, eo modo, utque rationibus, ut is cui consilium dedisti, intelligat te ex animo non muneribus corruptum loqui: sic enim prius consilium satis eliditur. vnde si ille nihilominus in concepto facinorose persistat, iam non tuo consilio, sed sua dumtaxat malitia, vel priuata opinione videbitur moueri; ac proinde tibi non imputabitur.

Dico Secundò, Si dedisti consilium verum, ostendendo utilitatem vel honorem, qui ex opere iniquo consequetur, vel machinanti malum, occultam nocendi rationem aperuisti, non sufficit reuocare ostendendo rem esse illicitam, suadereque contrarium; sed oportet persuadere: si enim ipse permotus ista utilitate vel commoditate exequendi, quam aperuisti, facinus committit, teneberis. Ratio est; quia ostensione pernicii vel honoris, voluntatem ipsius ad damnum inferendum permouisti, & haec motio manet, quam diu ipse eodem motu incitatus, conceptum facinus vult prosequi: ergo cum sis causa istius voluntatis, etiam es causa effectus eius, scilicet damni secuti. Simili modo, occultum nocendi artificium aperiendo, veluti armis & auxiliis instruxisti ut noceat, sine quibus non potuisset nocere, & per quae in proposito nocendi fuit confirmatus: sicut qui furenti praebet arma ut inimicum occidat, tenetur, nisi re ipsa abstulerit, ne illis occidat. Confirmatur; quia cum prauum consilium dares, debebas cogitare mala quae inde sequi poterant, & non fore postea in tua potestate impedire, quin consilium illud exeat in opus.

Hinc intelligi potest distinctio inter *mandatum & consulentem*: cum enim mandatarius agat nomine mandantis, ut ipsius voluntati morem gerat, hoc ipso quo mandans reuocat mandatum, & reuocatio innotescit mandatario ante operis executionem, cessat omnis ratio agendi à mandante pro.